107

S. P. Vir Rev. doctiss.e mihiq. amiciss.e

Dolim te sollicitum esse de ultimis tuis. Redditae mihi sunt
illae bona fide. Quod tardius tibi videor respondere, id oc-
cupationib. tribues. Praeadamitica fabula, quam te non
autumo ignorare, per aliquot septimanas, ut de ordina-
riae functionis negotijs nihil dicam, me occupavit. Placuit ven.
nro Antistiti ea de re in Carolina nra solennitate orationem
in templo aquatico haberi. Et nescio quomodo me voluerit
illius actorem esse fabulae; quamq. ipsâ lubentiâ lubentius voluissem
hanc provinciam alius, me longe valentioris & doctioris, imponi
humeris. Atq. heic fabri Praeadamitarum plasma novum & in-
auditum evolvendum fuit, & multa alia legenda, antequam ad
ipsam orationis concinnationem accederem. Celeberrimus Mare-
sius solidum scriptum opposuit novo phantasmati, quod patri
ejq. nimis arridet. Ego intra orationis cancellos manere co-
actus omnia breviter complexus sum, ita tamen ut officij ora-
toris me non putem esse oblitum. Adolescentulus ille, de q.o tibi
nuper negotia facessebat, addictus nunc est Bibliopegorum opi-
ficio. Receptus est à Schuffelbergeri nri privigno, Hardmejero,
qui sine didactro per quinquennium hanc artem ipsum docebit.
Quod tu interim, qua es animi erga me propensione, de com-
modo artis sutoriae magistro ipsi prospicere coepisti, habeo gra-
tiam. Equidem ita hoc officium interpretor, ac si id ipsum,
quod appetebamus, adepti essemus. Si dabit. occasio, praestabimus
vicissim officia grata. Compositio controversiarum Helveti-
carum lento incedit gradu. Arbitris de litium materia per comunes
Provincias resecanda non convenit: alijs religionis pacem & re-
gimen vetus retinendum censentibus, alijs moderationem & refor-
mationem urgentib. Sed nec dum cum Legato Gallico de foe-
deris inter Regem & Reformatos nostris convenit. Rogandus
est Deus, ut omnia ad nominis sui gloriam, ad orthodoxae do-
ctrinae, & publicae tranquillitatis ac pacis conservationem
vergere clementer faciat. Vale in DNO JESU, & meis verbis
vener. Dn. Decano plurimam salutem dicito. Tig. 31. Jan.
1657.

T. T.

Jos. Wirtzius.

Et Salutem

Rever. praestantissime ac amiciss.e vir.

Excurrunt ad vos alumni vestri, qui per biennium nunc, & quod excedit, apud nos commorati. Nolui ipsos sine literis dimittere: etsi non vacat ad tuas respondere. Exercet me negotium grave, viduae affinis mei, Henr. Ernii, pastoris Altstettensis, qui integrum abhinc annum in patriam coelestem evocatus est, relictis novem orphanis, quorum cura & educatio magnam partem mihi incumbet. Periclitatur nunc viduae instrumentum aliquod, quod sexcentorum est florenorum. Scribo ejus rei causâ ad fratrem viduae, qui Wolspaci prope Constantiam fortunarum suarum sedem habet. Et quoniam periculum in mora videtur esse, cupio actutum has ad Morellium directas genero meo Altonoviano per propriu hominem afferri, ne detrimenti aliquod optima vidua accipiat. Sumptus ego de mea dissolvam crumena. Ignosce quaeso, quod humeris tuis onus istoc impono. Non occurrit commodior ratio, quam ista. Tabellarii heri jam abierant, cum mihi Morellii literae sunt exhibitae. Exscribenda fuerunt, quae oppignorarant in illo instrumento, quae integrum complevere folium. Caetera gener meus curabit. Lubentissime adjecissem exemplum instrumenti illius decisorii, Basil. et Abbatiscell. arbitrorum, quod a me petiisti. Sed profecto nullum potui nancisci. Omnia exempla sunt penes Archigrammateum: qui non audet ullum amplius, ita volente amplisso magistratu, cum quoquam communicare ante Thermopolitana comitia. Nescio quis metus exacerbationis Quinquepagicorum animos invaserit. Si meum exemplum ad manum fuisset, id ipsum misissem. Nunc a Vitoduro est apud Mejerum nostrum, qui nondum remisit. Proxime tuis dabo prolixius. Cogor abrumpere filum. Frater Dn. Hottingeri sequente septimana Heidelbergam redibit. Iratus est Zollikofero, quod tantum non illuserit Ser. Electoris, cui litem jam dederit de provincia Ecclesiastica Weinheimensi acceptanda. Sed de hac re alias. Ut tandem Londini & quam anxie perierit. Resp. in regnum denuo vertitur. Sic est, ubi rerum omnium facies mutatur. Vale, vir amiciss.e Saluta vener. Dn. Decanum & reliquos Dnn. collegas.

Tig. raptissime, 25. April. 57.

Tuiss.

Ulrichius.

Reverendo & doctiss.o V.
Dn. Sebastiano Wyggero,
Eccl. Sangall. Ministro
& Scholae Rectori vigilantiss.o
Dno. fratri in Chro &
amico colendo.

Sangall.